



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 7. Nabuchodonosorem nec bestiam, nec semibestiam fuisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

potuisset, contra vim aliarum bestiarum, eertè neque Daniel, neque ceteri satrapæ eum ex aula in siluas eliminassent, si vidissent nihil in eo, nisi phantasiam corruptâ; sed eum domi catenis alligatum, aut conclavi cohibitum custodijissent, donec ad se rediret; sicut & alij insani custodiuntur.

§. VII.

*Nabuchodonosorem nec bestiam, nec semibestiam fuisse.*

Tertiò igitur quidam Iosepho ascribunt eam sententiam, quasi Nabuchodonosor reipsa ex homine bestia sit factus. Sed neque Iosephus id scribit, neque ratio patitur; si enim tam anima, quàm corpus subiissent eiusmodi mutationem, non jam ipse *vinculo ferreo & areo alligatus* fuisset, non ipse *foenum ut bos comedisset*, non *rore cali corpus eius infectum* esset; non *capilli eius in similitudinem aquilarum* creuissent, & *ungues eius quasi avium*; sed hæc omnia bovi, aut bestię accidissent, quæ nihil peccauerat, anima regis annihilata, vel in exilium pulsa, atq; tantisper vagari iussa.

Quamobrem Dorotheus & Epiphanius volunt Nabuchodonosorem non totum in feram fuisse commutatum, sed interiùs

Doroth.  
in synopsi.  
Epiphan.  
in vita  
Danielis.



formam hominis, hoc est, animam immortalē seruasse; exteriùs autem prorsus fuisse aliã, & quidem bestię figurã indutum; ita scilicet, vt anteriùs figuram bouis, posteriùs leonis referret. Itaque putant, eum taurino capite cornua ventilasse; & juba ac cauda leonina terribilem extitisse. Fundamentum istorum est, quòd boui leonem addant, tum quia Septuaginta interpretes vertunt, *capillos eius non in similitudinem aquilarum, sed leonis creuisse*; tum quia dicitur, *cor non bestię, sed fera detur ei*; bos verò, licet sit bestia, non tamen est *fera*, leo autem & bestia est, & fera. Quare hi idem de Nabuchodonosore fingunt, quod Poëtæ de Gyge & Minotauro, quos partim fuisse homines, partim boues, canunt. De Gyge

Dan. 4.  
30.

Quid, l. 4.  
Trist.  
eleg. 6.

*Centimanumq; Gygen, semibouemq; virum.*

De Minotauro:

*Semibouemq; virum, semiuirumq; bouem.*

Hæc quoque sententia nimium dicit. Nam ex homine, boue, leone triplex monstrum facit. Tametsi enim demus, aliquam veri hominis, immò plures partes posse esse

mem-



membra aliarum bestiarum, non tamen concedimus, omnes partes ac membra (præfertim præcipua) posse esse sufficiens animæ rationalis instrumentum, vnde etiam supra docuimus, Satyros, centauros, & similia monstra, siqua sunt, potiora habere hominis. Immo neque Poëta dicit in Gyge, aut Minotauro animam hominis, corpus totum bouis fuisse, sed *Semibouemq; virum, semivirumq; bouem* vocat; quod corporis vna pars hominem, altera bouem retulisset. In explicatione porrò somnij Daniel nullam leonis, sed tantum bouis mentionem facit. Ad *feram* quod attinet, cuius cor dandum regi ait scriptura, notum est, boues non tantum cicures esse & domesticos, sed etiam agrestes & feros, vti sunt vri & bisontes.

Supra  
cap. 48.

Dan. 4. v.  
29. & 30.

§. VIII.

*Quam Nabuchodonosor in anima passus sit mutationem?*

Restat igitur quartò media sententia, vt dicamus, Nabuchodonosorem & secundum animam, & secundum corpus, non tamen tantum, quantum citati volunt aucthores, mutatum fuisse. Secundum animam verè mansit homo; licet humanus ei

Y 4

sensus,